

Clementiâ usus sum propter nomen sanctitatis  
meæ, quod profanant domus Israëlis in genti- Ezech. 36. v.  
bus, quò venerunt. Idcirco dico domui Israë- 21, 22, & 23.  
lis, sic ait Dominus Jehova; non propter vos  
ego facturus sum, ô domus Israëlis; sed pro-  
pter nomen sanctitatis meæ, quod profanâstis  
apud gentes, quò venistis. Ut sanctificem  
nomen meum maximum, quod profanatum  
fuit in gentibus, quod profanatis in medio ea-  
rum; ut sciant gentes, me esse Jehovam, di-  
ctum Domini Jehova, cum sanctificabo me in  
vobis ante oculos earum.

Quare tuo nomini, ô Deus sanctissime,  
gloria sit cellissima! qui non modò nobis  
pepercisti; sed novo porrò bono Politiam no-  
stram exhilarâsti: Honor tuus omnium lingvis  
prædicetur, nullis seculis terminetur!

*Accinant nobiscum omnia Christiana re-  
gna, omnes provincie, ditiones, principatus,  
in quos muneris nostri novi commodum redun-  
dat. Quid enim non commune est, quod  
natura optimum fecit? exclamante Ethnici  
illius, aliàs spurci, optimâ sententiâ. Præ-  
sertim verò nobiscum vicinia, doni tanti parti-  
ceps facta, ovet. Nam etsi limites ac terri-  
toria tam accuratâ mensurâ politicâ sejungatur,*

Petrò. Arbitr  
in Satyr. pag.  
mibi 54.